



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio VI. ad Spiritum Sanctum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

activitatis, cœlestis ignis, ut perfectè in
 eum transformatus ignis munus exercen-
 di proximos à peccatis purificem, lumine
 verò doctrinæ eos collustrem, & flammis
 charitatis succendam, eorumque deside-
 ria in cœlum levem, & cum Deo per unis-
 onem veri amoris jungam. Amen.

Oratio VI. ad Spiritum Sanctum.

O Spiritus vitæ! conservans in Electis
 vitam gratiæ, quâ respirant & concu-
 piscentiæ ardorem mortificant, custodi
 in me, obsecro, spiritualem vitam gratiæ,
 & vitiorum flammam tempera: insuffla
 quoque super interfectos, id est peccato-
 res per universum mundum, eosdemque
 ad vitam revoca, ut mecum laudent te in
 secula.

O Cœlestis Favonie! purgans & sepa-
 rans bonum à malo, perfectum ab imper-
 fecto, pretiosum à vili, granum à palea:
 Veni, aspira, purga, separa, à malo remo-
 ve, ad bonum impelle, & velut ventus
 amœnus, sanctitate spirituali me reple. **O**
 Carbo divine! velut sol novo lumine, vel
 ut ignis cœlesti calore, velut Magister do-
 ctrinâ sacrâ, velut Medicus sanitate per-
 fectâ

fectâ me bea: & quemadmodum Aposto-
 los & Discipulos Domini repente in viros
 alios commutasti; ita me in momento ex
 timido audacem, ex imbecilli fortem, ex
 ignaro sapientem, ex invido charitate fer-
 ventem, ex ambizioso humilem, ex imper-
 fecto, omni perfectione præstantem effi-
 cere dignare; ut hac ratione mutatus, nihil
 velim, nihil cupiam extra te, sed te plenus
 & internâ præsentia tuâ satiatus te fruar
 in vita, metâ & patriâ. Amen.

1. Testimonium Patris æterni.

Tres sunt qui testimonium dant in cœ-
 lo Pater, Verbum & Spiritus sanctus,
 & hi tres unum sunt, ait Discipulus quem
 diligebat Jesus. *1. Ioan. 5.* O Pater æ-
 terne! Tu devotè communicanti testi-
 monium internum dare affoles præsentia
 Filii tui in Sacramento, & excellentia pa-
 nis vivi, dum omnipotentia tuâ facultates
 animæ corroboras in Divino obsequio,
 renovasque hîc testimonium olim in Ba-
 ptismo & Transfiguratione à te datum:
Hic est Filius meus dilectus in quo mihi
benè complacui, ipsum audite. Da testi-
 monium animæ meæ de præsentia Filii tui
 dilecti